



VRbanus à pueris operam literis dedit, & felici ingenio fretus, prima artium & linguarū rudimenta facile in patria didicit. Inde se 1520 ad academiam Basiliensem contulit, & sacris literis in uigilare cœpit, idq; tanta diligentia, ut Theologię Doctor crearetur. Postea quoq; Augustę concionator factus, magna dexteritate docuit, ac docendo & scribendo effecit, ut Erasmo Roterodamo familiaris, & doctissimis Theologis connumeratus fuerit. Itaque Ernestus dux Luneburgicus anno 1530 in comitijs Augustanis, ab eo loco Vrbanum secum duxit, & Ecclesijs suæ ditionis Superintendentem dedit. Deinde cum doctorū virorum colloquium passim in Imperij comitijs institueretur, Vrbanus interfuit, & præfertim 1540 Hagenoæ cum aduersarijs disseruit. scripsit is collationem religionis Romanæ ad ueterem Euangelicam & Apostolicam: Prophetias quoq; veteris Testamenti collegit & explicauit. Inde Ecclesi librum de Missa confutauit, atq; locos communes ex patribus conscripsit, cum multis alijs Latinē & Germanicē editis, quibus ingenij sui uires posteris significauit. Cum hoc modo Hamburgi & alibi diu Ecclesijs præfuisset, tandem obiit, & magnum sui desiderium reliquit. Con. Geff.